

tendo, quod si divinâ favente gratiâ, quam, ut benignissimum Numen mihi nunc scribenti, deinde etiam pro ingenii viribus differenti largiter concedere velit, devotissimis illud imploro precibus, feliciter cesserit, id, quod quærebam, impetravero: & DEO pro assistentiâ suâ ad gratias immortales agendas obligatus ero.

§. I.

IN ventilatione igitur præsentis controversiæ, ut singula singulis cohæreant, hoc incedam ordine, ut *Primo* statum controversiæ post evolutionem terminorum ponam. *Secundo* orthodoxam nostram sententiam ex immotis argumentis firmem. *Tertio* Heterodoxam opinionem refutem.

§. 2

Occurrit autem in positione status controversiæ evolvendum I. *Subiectum*, quod est Sacerdos. Quam vocem hic accipimus non (α) latissime, quatenus notat omnes pios ac fideles, spirituales hostias DEO offerentes; prout sumitur *Apoc. 5. v. 10.* nec (β) propriissime, quatenus designat solam Personam, externum & corporale Sacrificium, immolantem: qua ratione tribuitur tantum Sacerdotibus Vet. Test. in N. T. soli Christo. Sed (γ) strictè & propriè, quatenus significat Personam cultui sacro Nov. Test. i. e. publicæ prædicationi Evangelii & administrationi sacramentorum, dicatam, & peculiariter consecratam, quæ alias communiter & juxta stylum vocatur
Mini-